Pluzinski fran. Hieronymi Phoenix in cineribus suis virtutis, sapientiae et meritorum ope redivivus.

PHÆNIX
IN CINERIBVS SVIS
Virtutis, Sapientiæ, & Meritorum ope,
REDIVIVUS.
Perillustris, Clarißimus, & Admodùm Reverendus Dominus,
M. GREGORIUS OCHABOWICZ,
Sacræ Theologiæ & Iuris Vtriusq;
DOCTOR ROMANVS,
Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviensis,
PRÆPOSITVS,
Inter Parentales Exequias,
Præsente numerosâ Ordinũ Academicorũ Coronâ,
Pijs ejus Manibus,
In Sacris D. ANNÆ Ædibus,
EXSOLUTAS.
PER
M. FRANCISCVM HIERONYMVM PLVCINSKI,
Philosophiæ Doctorem, & in Collegio Novoduorsciano
Rhetoricæ Professorem.
Lugubri Eloquio
ADUMBRATUS.
Anno Phænicis igne amoris exusti, & à mortuis Redivivi, 1711.
Die 17. *Martij.*

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. & Reverendiss. Domini Episcopi Crac. Ducis Severiæ, necnon Schol. Novodu. Ordinarij Typogr.





PHÆNIX IN CINERIBVS SVIS REDIVIVUS.

B*Reve nimis Vitæ præsentis agimus momentum;*
Ædilis Libitinæ falx,
nimiùm citò ferale nobis erigit monumentum.
Etsi ad summam ætatem pervixerimus, & grandævos Nestores
tàm canis, quàm annis vicerimus.
Adhuc exiguum temporis spatium est.
Mille Anni, sunt unus dies ad æternitatem.
Hic mortalis, est immortalis,
In Orbe, nunquàm Vitâ orbus,
In diebus suis, nesciens Mortis noctem,
Verus Phænix, in suis etiam Cineribus redivivus.
Quem
Virtus, Sapientia, & Merita, perenni Vitâ donârunt;
cui nec invida Atropos invidet.
Exanimatos Augustos, Macedones, Annibales,
quid aliud? si non fama gestorum hucusq; animat.
Marones, & Stagyritas,
callens Scientias eorum animus.
etiam sub frigido marmore,
vetat mori.
Numæ Pompilio, pro effusa in Divorum Aras pietate,
Numina ipsa
Privilegium contulerunt immortalitatis.



Nec

Nec Tu obijsti, cùm è Vivis excessisti;
Perillustris, Clarissime, & Admodùm Reverende Domine,
M. GREGORI OCHABOWICZ,
Sacræ Theologiæ, & Iuris Vtriusq; DOCTOR ROMANE,
Ecclesiæ Collegiatæ S ANNÆ PRÆPOSITE.
Phænix es in Tuis Cineribus redivivus.
Nam
Si hunc magnum corpore, felix Arabia toties vidit;
Te, Virtute, Doctrinâ, meritisq; maximum,
Noster Septemtrio Sarmaticus mirabatur.
In Submontanæ Oræ Regia Civitate Robczycensi,
natus es.
Vt Phænices, arbusta, humilesq; mirycas fastidientes, & in
montium jugis, excelsas Libanos Cedrosq; amantes, imitareris.
Vndè
In nidum Scientiarum Lechicum Athæneum advolasti.
Iuvenis tredecim Annorum,
sed jam Virtute annosus.
Nihil enim in Te Cracia Pallas tum iuvenile vidit.
præter annos.
Phænix solus Avium, nec cibo, nec potu alitur;
Tu tamen fontes amasti;
sed Castallios,
ad quos Pegaseo volabas cursu,
Ductore & Doctore,
Clarissimo, & Excellentissimo Domino
M. MARTINO RADYMINSKI,
Philosophiæ Doctore, Collega Majore, Regio Professore.
Vero tunc Heliconis Academici Apolline,
Felix Discipulus tanto Præceptore,
Felicior Præceptor tanto Discipulo.
Vidit egregias Tuas dotes,
animum omnis boni capacissimum,
ille eruditarum mentium Ocellus, & ingeniorum maximus æstimator
Clarissi-

Clarissimus, & Excellentissimus Dominus,
M. IOANNES TONSKI,
Philosophiæ, & Medicinæ DOCTOR, Almæ Vniversitatis
Cracoviensis PROCANCELLARIVS.
Æsculapius GĘMBICIANVS.
ideòq; Tuum eruditum Caput,
Phæbea Lauru coronavit:
Præsente
Celsissimo Principe, Illustrissimo, & Reverendissimo Domino,
D. PETRO GĘMBICKI,
PRÆSVLE Cracoviensi, DVCE Severiæ,
Alijsq; Magnis Nominibus assistentibus,
Meruit nempè tua Doctrina radians, tot spectantibus,
Poli Sarmatici Illustrissimis Syderibus,
in publica luce videri
Coronata.
Redimitus Corollâ ipsius Minervæ manu contextâ;
Verus Tu jam Phænix,
(qui non secus ac Rex in vertice Stephanoma gestat:)
involasti Magnis nostri Sarmatici Orbis Heroibus,
in intimos cordium recessus.
Adamavit maximè Tuas Virtutes,
Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus,
D. MICHAEL de Zebrzydowice
ZEBRZYDOWSKI,
PALATINVS CRACOVIENSIS,
Ideòq; Te
cum Illustri, & Magnifico Domino,
D. ANDREA WIZEMBERG,
Magnæ tunc spei & expectationis Iuvene,
ad exteras miserat Regiones,
Vt Tuæ probitates, etiam à Peregrino Syrmate viderentur;
Evolasti ex Patrij Soli nido, ad exoticum Solem;
non ut ab eo excoquereris:
qui nihil imperfectum in Te habuisti,
sed ut ostenderes gelidum Septemtrionis Orbem,
Virtutum, & Sapientiæ igne calere.

Peragra-

Peragrasti
Vratislaviam, Pragam, Lovanium, Bruxellas, Parisios,
Venetias, Patavium, Viennam,
aliasq; multas Regnorum Vrbes amplissimas,
per triennium visitasti;
Vidit Te Sorbona Theosophorum, & invidit;
Nam ubivis terrarum Teipso probâsti,
Sarmaticum Septemtrionem, non talpas, aut cæcas noctuas proferre,
sed genuinos Aquilæ Polonæ pullos,
Vno Patrio Phæbô non contentos.
In Septicollem demùm venisti Vrbem;
in qua
Aquinatis gerens animũ, & maturo consilio, ipsum etiam Consum vincens,
& Theologicâ, & Iuris Vtriusq; Lauru coronatus,
ad Patria arva properâsti.
Vbi Magnorum Virorum Te affectus excepêre.
Nec mirùm,
Phænix enim quocunq; se verterit, ubiq; ingentium volucrum
comitatu stipatur.
Lassatus itinere longo, quievisti,
sed in Faventissimis Tibi Pectoribus,
Perillustris, & Reverendissimi Domini,
D. M. ANDREÆ KVCHARSKI,
Sacræ Theologiæ Doct. & Profess. Collegæ Majoris, Canonici Crac. &c.

Perillustris, & Reverendissimi Domini,
D. M. STANISLAI IVRKOWSKI,
Sacræ Theologiæ Doctoris, & Professoris, Præpositi S. FLORIANI,
& Vniversitatis Procancellarij.
qui Te Gregorium Magnum Doctorem,
Doctorum Collegijs,
ceu gemmam pretiosæ Conchæ inseruerunt.
Minori Collegio primò, post Majori,
Ut in dies crescens tua Virtus & Doctrina, gradibus quoq; certis iret ad honores,
Multùm tunc gavisa est Cracia Pallas,
cùm in docto Gregorij animo, Stoam & Peripathum invenit,
De ore Herculis aureos quondam fluxisse compedes,
Mithyologia comperta est;
Veriùs in Gregorij nostri Suada, Atticâ Hyblâ dulciori

Pallas Iagellonica dulcia observavit vincula,
quibus & ex sacro suggestu, & ex Academicis Exedris,
humana ille catenabat pectora,
Quid dicam de lyncea illius pupilla?
quâ demersa in Euripo Aristotelico Philosophiæ arcana,
toties lustravit, & illustravit.
Non cum eo plausu,
Ad Lechicum diadema, nudipes quondam Lescus II. cucurrit;
cum quo
Gregorius Doctor eximius, Cursum Philosophicum in Via Thomistica,
non tantùm absolvit, sed & iteravit.
Ex quo, quoties disputabat,
Toties eum Intelligentiam, vel ipsum Doctorem Angelicum putabant,
dum difficultatum abdita primo intuitu videret.
& feliciùs Macedone, Gordios perplexitatum nodos solveret.
Tàm benè stantem, videns Stoa Peripatetica,
Eum purpuratum Sophorum Antistitem, non semel, sed bis voluit habere.
In Decanali hoc Ostro rubuit non erubuit,
qui nihil unquam egit dignum rubore.
Tam præcellentem doctrinam, & Herculeis majores labores illius.
Vlterioribus præmijs coronasset,
Sincera laborum, & meritorum præmiatrix,
Alma Vniversitas.
Ni hunc devotum Mystam,
Divinior Tritonia, Mettertia ANNA,
in obsequium suum invitâsset,
In Cujus Collegiata,
Centoculo Vigilantiorem Argô, triginta annis, agens PRÆPOSITVM,
verè aliorum exemplo præponendum,
quid egerit? quas Gratias in domo Gratiarum deposuerit?
quæ pietatis monumenta reliquerit?
Stupeat Orbis, & similia opera, alij operentur.
Bonus Pastor,
Vt & post fata, in suo Ovili.
cum IOANNE Baptismum Pænitentiæ non desineret prædicare;
Quatuor Pænitentiarios, opimè & optimè fundavit,
Mansionesq; eis ære proprio comparavit.
Mariani honoris, & illius purissimæ sine labe originali Conceptionis,
sicut in vita zelosissimus fuit Assertor, ita & post mortem esse voluit.
cùm pro Cursu B. MARIÆ Virginis ferialibus diebus, & pro Officio
de Immaculata illius Conceptione, festivis & Dominicis diebus,
semper decantando, notabilem summam legavit.

Fundatio.

Fundationem pro prima Missa, collapsam erexit, & non contractâ sed effusissimâ manu fulsit.
Capellano Confraternitatis S. ANNÆ, & mansionem, & annuum sufficientissimum Censum designavit.
Progredere ulteriùs penna;
cùm necdum Numæ istius pietatis in Numina finis est,
quando hic Pompilius in pompam Ecclesiæ DEI effusissimæ liberalitati suæ, necdum metam imposuit.
Illi debebit,
Angelorum Colonia, Cœlum terrestre, verè basilico opere exstructa,
Majestuosa Divæ A N N Æ Basilica,
quam ne tempus edax rerum, & invidiosa vetustas, dentibus ævi aliquando destruat,
Ære suo pijssimo cavit,
pro conservatione tam excultissimi Operis,
aliquot millia liberali dextrâ offerendo.
Et ut se Phænicem, dulce Melos DEO occinentem probaret,
Musicam penes eandem Ecclesiam fundavit.
Cum Orpheis & Amphionibus, & ipsa Organa illius ære erigenda,
non alienam liberalitatem,
tantùm istius effusissimi in decorem Domûs DEI PRÆLATI,
Vocali Sono & Sonoris vocibus, longè lateq; resonabunt.
Nec Musarum oblitus est hic Apollo,
Studiosis Scholæ S. A N NÆ, cantantibus in Choro, festivis diebus,
certum subsidium providendo.
Nunquàm potuit esse magis dives Gregorius, quàm cùm opes sic DEO erogavit.
Meliùs enim non amittitur peculium, quàm cùm in dotem Sponsæ CHRISTI convertitur.
Benè successere illi terrestria bona;
quibus Cœlestia est sibi mercatus.
Beatum peculium; quo DEUM fecit sibi amicum, imò debitorem,
Ab illo in fænore, æternæ gloriæ diadema recipiens.
Verè Gregorius Phœnix.
Nam
Sicut hic rogum, quem sepulchri loco est habiturus, Cinammis, surculis casiæ, nardi aristis, balsamo, myrrhaq; replet.
Ita Gregorius Domum S. ANNÆ rogum suum,
tot liberalissimis exornavit beneficijs.
Et in ipsa morte imitatus Phœnicem,
cùm postridiè Purificationis Marianæ, purificatus mente & corpore
Sacramentisq; refectus, inter

Inter flagrantissimos & fragrantissimos Divini Amoris ignes exarserit,
Octuaginta quatuor annos vixit.
Dignus ut ipsas seculorum Myriades explevisset.
Nisi eum Cœlum nobis invidisset.
Nihilominùs lacrymabundæ Castalides,
Magni hujus fata non flete Orphei.
Phænix ille est,
etiam de Cineribus busti sui resurgens.
Cui pietas in Superos, parturijt annos,
Nullo fatorum interstitio desituros.
Viuit ille & in amicis cordibus Vestris,
Dignissimi ultimæ illius voluntatis Præstites.
Perillustris, & Admodum Reverende Domine,
M. ALBERTE OCHOWSKI;
Philosophiæ Doctor, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ C ac. Archidiacone, Zatoriensis Decane, Curate Spytkovec. Frater Patruelis piè Defuncti.
Perillustris, & Admodum Reverende Domine,
M. ALBERTE TOPINSKI,
S. Theologiæ Baccalauree, Canonice S. FLORIANI. &c.
Illustris, & Admodum Reverende Domine,
ANDREA ARTWINSKI,
AA. LL. & Philos. Baccalauree, Pænitentiariorum Ecclesiæ D. ANNÆ, Senior Præfecte.
In quibus
Ille magnum in Superos cultum, benè scientijs animum excultum videns, maximè Conscientiam illimem, manus in opera pijssima effusissimas, cernens, has Virtutes.
Ipse Virtuosissimus,
In Vobis & coluit, & amavit, Moriensq; ultimæ executioni,
Sortes suas innocentes,
Animamq; propriam, pio juvamini Vestro, commendavit.
Vobis ille vivens secula vovit.
Vitam ergò & ipse consequatur in Visione DEI, Æternam.

